

suscipere, sed illum punire pœna legis, quæ propter cum Deus aliquid ex hoc rigore remittit, gratiæ tribuendum est. Item quia opera nostra innumeris aliis titulis sunt Deo debita, et præcipue ratione peccati mortalis, in quo jacere supponimus eum qui deberet satisfacere, et ideo potest Deus nullum opus acceptare in satisfactionem: at vero satisfactio vitæ futuræ non est satisfactio amicabile, sed est vindictæ et summi rigoris, in qua non est attendenda conditio personæ patientis, sed æqualitas rei ad rem, quæ æqualitas considerari potest in omni pœna, et culpa abstrahendo ab omni statu personæ: sed adhuc ista omnia non omnino satisfaciunt, nisi in purgatorio. Item satisfactio hujus vitæ, cæteris paribus, censetur efficacior et facilior, propter liberam voluntatem, nam justus minori pœna satisfacit in hac vita, quam in futura; ergo idem, etc. Probatur particulariter in peccatore si voluntarie pœnam sumeret. Ex quo etiam sumitur congruentia, quia peccatum ex sua natura est injuria voluntaria; ergo est consentaneum rationi, ut non nisi voluntaria pœna remittatur. Confirmatur illa ratione, quia in inferno nullum est refrigerium, nulla remissio, nam *ubi ceciderit lignum, ibi erit*. Confirmatur amplius, nam qua ratione hoc peccatum veniale puniretur pœna temporalis in inferno, eadem malitia conversionis mortalis peccati, nam illa malitia ex suo genere et specie est ejusdem rationis cum malitia venialis peccati, atque hoc modo pœna sensus peccato mortali debita esset temporalis. Neque videtur referre malitiam istam esse conjunctam aversioni peccati mortalis in eodem actu, atque adeo veluti per se, et ex natura sua: malitiam vero venialem solum conjungi in eodem supposito cum mortali, sed nihil interest hæc differentia; non enim mutat gravitatem, neque speciem malitiæ, atque adeo neque facit illam dignam diuturniori pœna.

6. *Prima propositio de fide.*—Prima propositio. Veniale peccatum de se non meretur pœnam æternam, quod censeo de fide, ex dictis supra de peccato mortali et veniali. Colligitur Matth. 5, ubi non omni generi peccatorum, sed cuidam minatur Deus gehennam, ut advertunt, et exponunt Chrysostomus, Theophylus, Hilarius et Hieronymus, Matth. 40, idem ex illo 1, Corinth. 3: *Salvus erit, sic tamen quasi per ignem*. juxta expositionem Patrum supra traditam: ratio vero hujus propositionis, et quomodo sit intelligenda, patebit ex secunda propositione.

7. *Secunda propositio.*—*Quid ad allata in num. 3.*—Secunda propositio. Tutior et verior videtur illa sententia affirmans peccatum veniale conjunctum mortali puniri perpetuo: quæ sic intelligenda est, potuit scilicet Deus statuere veniali peccato ea lege pœnam temporalem, ut amicabilem et voluntarie illam subiret, qui tale peccatum committeret, sin minus, ne unquam cessaret: quæ lex justa esse potuit, tum quia illa est justa pœna, quæ a justissimo legislatore imponitur, ut diximus; tum quia est accommodata culpæ voluntariæ, ut explicuimus; tum etiam quia rationi consonum est, ut culpæ, quæ perpetuo durat, Deus imponat pœnam perpetuam: culpa autem venialis conjuncta mortali perpetuo durat, ut vidimus: si autem hoc potuit Deus, credendum est ita statuisse, quia hoc est maxime consonum aliis principiis fidei, et ipsi etiam rationi, et naturæ culpæ: unde solum dicitur veniale peccatum per se mereri pœnam temporalem, quia culpa ipsa per se etiam temporalis est, quia non excludit principium gratiæ, quo possit obtineri remissio illius, et per hæc satis patet solutio ad fundamenta secundæ sententiæ, in n. 3.

8. *Satisfit aliis rationibus in eodem num. 3.*—An vero idem dicendum sit de temporali pœna debita pro culpæ remissis, ad materiam de justificatione pertinet. Illud solum addo, propterea, quæ dicuntur in illis argumentis de homine in puris naturalibus, non esse statum illum quoad omnia comparandum cum statu gratiæ, nam tunc etiam fortasse esset aliquis modus remissionis peccati non ex justitia, neque ex gratia gratum faciente: sed ex quadam liberali providentia consentanea naturæ, et ideo etiam in illo statu peccatum veniale non esset per se dignum pœna æterna, et tantumdem valeret tunc homo carens mortali peccato ad obtinendam remissionem venialis suo modo a Deo, quantum nunc homo in gratia constitutus proportionem servata.

DISPUTATIO VIII.

DE PECCATO HABITUALI, QUOD EX ACTUALI NASCITUR.

De hac materia tractat divus Thomas, 1, 2, q. 86, sed nos ordinem mutamus, tum quia hæc disputatio pertinet ad perfectam cognitionem peccati actualis, cujus effectus est: tum præcipue quia fere est necessaria hæc tractatio ad materiam de peccato originali, viderique

possunt multa quæ in opere de gratia et de poenitentia diximus.

SECTIO UNICA.

An transacto actuali peccato aliquid habituale in anima maneat, quod sit vere peccatum: et quid sit illud.

1. *Rationes dubitandi.*—Ratio dubitandi est, quia per se ex actu peccati nihil sequitur in anima, nisi habitus pravus vitii, qui non habet rationem peccati, quia potest esse in homine grato. Confirmatur, nam si sit actuale peccatum puræ omissionis, illud certe nihil poterit relinquere, quia nihil est. Secundo homo in puris naturalibus sine gratia, si peccaret, non contraheret positivam culpam habitualem ex peccato, ut constat, neque privativam, quia nulla forma reali privaretur; ergo.

2. In hac re duo sunt certa. Primum transacto actuali peccato, hominem vere et proprie nominari peccatorem, quamdiu illius peccati remissionem non consequitur, quod patet ex communi modo loquendi Scripturæ et sanctorum, hoc enim modo dicitur Luc. 7: *Erat mulier in Civitate peccatrix*, licet non actu peccaret, tum etiam Christus dicitur *cum peccatoribus manducare et pro peccatoribus mori*; sic etiam peccatores dicuntur *esse impii et iniqui*; lege Augustinum, secto, contra Julianum, c. 8. Secundum est manere in homine transacto actu peccati maculam aliquam donec ad divinam gratiam redeat, quod est de fide ex communi modo loquendi Scripturæ, Josue 22: *Usque in presentem diem macula hujus sceleris in nobis permanet*, Ecclesiastici 47, ad Salomonem loquens, *dedisti maculam in gloria tua*, etc., et ad Ephesios, quinto: *ut exhiberet sibi Ecclesiam non habentem maculam*, etc. Unde etiam peccatores dicuntur *immundi, sordidi*, Osee 19, et Apocal. 1, *abominabiles*: et e contra justificatio impii dicitur *mundatio, ablutio*, etc. Hinc etiam apud omnes constat manere peccatorem post peccatum aversum a Deo, et in offensione ejus. Videndum ergo restat a quo denominetur homo *peccator* transacto actu, quid etiam sit ista macula, quid aversio et offensio culpæ: et an ista distinguantur.

3. *Prima sententia.*—Prima sententia est Scoti 4, dist. 14, q. 1, dicentis transacto actu nihil manere prorsus in peccatore præter denominationem extrinsecam, quam ipse vocat relationem rationis, quam inquit consurgere

ex actu Dei quo peccatorem ordinat ad condignam pœnam: hanc enim Dei ordinationem, quatenus ad pœnam refertur, dicit esse realem, ut tamen a Deo provenit, dicitur esse offensio Dei, ut vero est disconveniens peccatori, dicitur ejus macula. Sed vero ista non sunt convenienter dicta, quia macula significat malum culpæ, vel aliquid certe ad culpam pertinens: illa autem Dei ordinatio est bona et justa. Deinde homo non denominatur peccator ab actu Dei, alias Deus actione sua constitueret aliquem peccatorem. Tandem Deus ordinat ad pœnam eum qui peccator est, et quia peccator talis est.

4. *Sententia prædicta paulo aliter aliis asstruitur.*—*Quid tandem dici possit pro sustinenda eadem sententia.*—Propter quod Gabriel, in illa distinctione, q. 1, et Ockham, q. 8 et 9, in 4, dicunt hominem denominari peccatorem ab actu qui præterit, ut idem sit peccatorem esse, quod peccasse: et quia hoc non satis est, alias, qui semel peccavit, semper esset peccator, aiunt esse addendam ordinationem Dei, et ab utroque simul hominem denominari peccatorem. Sed contra hoc fere procedunt rationes factæ. Præterea licet Deus non ordinaret ad pœnam eum qui peccavit, manere posset, et vere denominari peccator, et in illo maneret macula; ergo ordinatio Dei ad pœnam nullo modo requiritur in macula, aut in forma, quæ denominat peccatorem. Dicent fortasse repugnare Deum non ordinare ad pœnam, et remittere culpam. Respondeo id falsum esse de potentia absoluta, ut patet etiam in humanis de injuria facta principi. Præterea, quia per se constat differre dignum esse pœna, et a Judice puniri. Propter hæc tandem dici potest in hac sententia, esse peccatorem nihil aliud esse, quam peccasse, et perseverare dignum pœna propter illud peccatum, quæ dignitas dici potest macula. Quod si objicias, homo etiam justus qui peccavit, interdum manet dignus pœna, propter peccatum, et tamen jam non est in peccato: respondetur non manere dignum pœna condigna et æquali, quæ est adæquata peccato. Sed adhuc ista omnia non satisfaciunt: tum quia talis dignitas pœnæ pertineret ad reatum: supra autem diximus reatum distinguere aliquo modo a culpa. Item de potentia absoluta posset ab homine auferri macula, et id quod est culpa, manente integro toto reatu pœnæ, quia revera illi dignitas pœnæ oritur ex solo actuali peccato, non ex macula, vel habituali dispositione, quæ manet: unde tandem dicere hominem deno-

minari peccatorem ab ista dignitate videtur idem ac denominari ab actu præterito connotando tantum Deum non remisisse.

5. *Secunda sententia.*—*Habitus vitiosi non sunt peccata.*—Secunda sententia vult prædictam maculam esse quamdam qualitatem pravam, quæ ex peccato actuali manet, quæ ita est contraria rationali naturæ, ut eam reddat Deo invisam et exosam. Sed hæc sententia quæ habet fundamentum in Magistro, distinct. 33, est prorsus improbabilis, quæ neque intelligi neque explicari potest, quæ aut qualis sit ea qualitas, neque a quo fiat: non enim fieri potest ab actuali peccato, quia actus peccati, vel plurimum, potest efficere habitum malum, qui potest manere, et peccatum deleri. Item quia si esset pura omissio, nihil generaret: neque potest fieri a Deo, quia non est auctor peccati. Deinde si est qualitas, ut sic, bona est, nec potest esse mala, nisi ratione alicujus privationis. Explicetur igitur ista privatio, quid sit et tollatur qualitas. Ex quo intelligitur non recte fuisse locutum Gregorium, dist. 20, dum inquit, vitiorum habitus posse dici peccata habitualia præcipue ante justificationem. Contra quem Capreolus, ibi, ad argumenta contra secundam conclusionem, nam certe nihil interest ante vel post justificationem, et propria hujus ratio est: quia tales habitus per se non avertunt a Deo, ut alias explicabo.

6. *Placitum quorundam circa hanc sententiam displicet.*—Hinc etiam mihi displicet quorundam Thomistarum sententia dicentium transacto actu peccati manere in voluntate positivam ordinationem, et realem ad illud objectum, ad quod se convertendo peccavit: in quo etiam fundatur realis aversio a Deo, et hoc volunt esse habituale peccatum: sed hoc non est intelligibile, nam ille ordo, si est realis, in aliquo ente reali fundari debet: vel ergo illud ens est aliquid additum voluntati, et hoc non erit habitus vitii, quia nihil aliud ibi manens potest dici peccatum, si nihil est additum, fieri non potest, ut voluntas nihil magis habens, quam antea, neque in se intrinsece mutata, retineat aliquem ordinem realem, quem ante non habebat.

7. *Tertia sententia.*—*Una explicatio hujus sententiæ refellitur.*—Tertia sententia est hanc maculam esse privationem nitoris et pulchritudinis animæ. Ita D. Thomas, supra, et in 2, dist. 13, q. 1, art. 1, et idem fere sentiunt antiquiores theologi, in 4, distinct. 18. Modus autem explicandi istam privationem

est varius, quia vix potest explicari qua forma privet. Quidam ex Thomistis dicunt maculam hanc privare nitore et pulchritudine, quam habitualis gratia in anima efficit. Quod si objicias, quia hæc privatio est a Deo, et est pœna; respondent quidam eorum, maculam potius pertinere ad malum pœnæ, quam ad culpam, et ideo posse fieri a Deo ipso: quod aliis non placet, quia macula in Scriptura semper significat malum culpæ, et non tribuitur Deo, sed peccatori. Item quia hæc sententia non explicat quid sit habitualis culpa.

8. *Secunda explicatio.*—Propter quod distinguunt alii gratiam dupliciter considerari, uno modo materialiter ut est entitas physica, et hoc modo privationem ejus fieri a Deo, et non esse maculam. Secundo modo quatenus aufert animæ pulchritudinem, et hoc modo privationem ejus esse maculam, et non a Deo, sed a peccatore. Sed non satisfacit hæc duplex gratiæ consideratio, quia est solum per præcisionem intellectus, tamen in re nihil est, quia gratia non confert homini pulchritudinem, nisi ut bona qualitas animæ inhærens; ergo gratia, licet materialiter consideretur, non habet aliud esse, neque aliam causam, quam ut considerata formaliter, et ut dans pulchritudinem. Præterea arguit Scotus, quia sequitur omnes maculas omnium peccatorum esse æquales, quia omnes æque privant habituali gratia. Respondet D. Thomas maculam esse privationem cum ordine ad peccatum præcedens, et quia illud non est æquale, ideo neque macula. Contra hic ordo tantum est relatio rationis; ergo ratione ejus non erit inæqualitas in maculis. Tandem peccatum ut sic latius patet, quam gratia, quia posset reperiri in homine in puris naturalibus, quem non privaret gratia; ergo in illo peccatum habituale manens non esset privatio nitoris. Ad explicandam hanc difficultatem incipiendum videtur a pura natura.

9. *Prima propositio.*—Prima propositio. In homine existente in puris naturalibus vere maneret aliquo modo peccatum mortale (de quo tantummodo loquor) per modum habitus, transacto actu, quamdiu ad Deum non converteretur, vel non remitteretur illi peccatum. Probatur, quia homo semel aversus a Deo, semper manet aversus, quamdiu non convertitur. Explicari solet exemplo hominis qui avertit faciem a sole. Confirmatur, nam ille homo maneret in eo statu, in quo esset dignus odio, et indignus amicitia Dei; ergo perseveraret in peccato. Tertio ille non esset in ea

pura natura in qua fuerat a Deo conditus; ergo esset impurus, seu in peccato.

10. *Secunda propositio bipartita.*—Secunda propositio. Peccatum manens habitualiter in illo homine non est ens aliquod positivum physicum, neque privatio realis et physica alicujus formæ positivæ. Primam partem convincunt argumenta facta contra secundam sententiam. Secunda vero etiam patet, quia nulla potest designari forma positiva, qua anima habitualiter privetur propter peccatum commissum: nam illa intelligenda esset in essentia animæ, aut in potentiis. Non in essentia, quia ex natura rei in essentia animæ nihil inhæret, nisi forte potentiæ ejus, et eadem ratio procedit de ipsis potentiis, quæ etiam inter se non possunt transmutari aliquo modo nec remitti; ergo nihil reale potest intelligi in ejus modi potentiis, vel ab aliis realiter distinctum, vel quod sit idem cum illis, quo privetur per habituale peccatum. Neque intelligi potest, quod aliqui dicunt et colligunt ex Cajetano, loco citato, quæst. octuagesima sexta, nempe hoc peccatum esse privationem realem illius spiritualis pulchritudinis, quam boni actus in anima efficiunt; quia licet actuale peccatum possit efficere hujusmodi privationem; tamen illo transacto, non necessario durat ista privatio cum habituali peccato, nam illo perseverante potest homo bonos actus exercere, et contrarios priori actuali peccato: neque illa actualis privatio pulchritudinis per se est culpa, ut patet in homine dormiente peccatore, et justo, etc.

11. *Tertia propositio.*—Tertia propositio. Peccatum quod habitu manere in tali homine dicitur, non est physice intelligendum, sed moraliter, secundum rectam et prudentem existimationem, et hoc modo est quædam aversio a Deo ultimo fine quæ mortaliter censetur manere in homine, quia voluntate sua se avertit a Deo, et nunquam ad illum conversus est. Colligitur ex D. Thoma, quæst. citata, articulo primo ad argumenta, et articulo secundo, et 3 parte, quæst. 88, articulo primo, ubi dicit maculam consequi peccatum ex parte aversionis. Et probatur tum ex dictis, nam numeravimus omnia quæ possunt cogitari circa hoc peccatum, et nihil aliud reperitur. Secundo exemplo ex humanis, nam qui offendit hominem, censetur manere inimicus ejus quamdiu aut voluntatem non mutavit, aut quod in se est non fecit, ut injuriæ satisfaciatur, et tamen totum illud contingit per moralem existimationem. Tertio in aliis rebus hæc moralitas

constituit prædicationem realem, et veram in rebus multum pertinentibus ad mores hominum, ut dicitur res aliqua tanti valoris, quia lege taxatum est: quod tamen nihil in re ipsa ponit præter existimationem moralem.

12. *Objectio contra nunc dicta.*—Dices, coincidere nos jam in priorem sententiam Scoti: nam hoc nihil aliud est, quam denominari hominem peccatorem ab actu præterito existimato moraliter, ac si esset. Respondeo primo, in hoc differimus, quia non intelligimus peccatum hoc consistere in ordinatione ad pœnam, sed in aversione ab ipso Deo: ex quo fit, ut aliquis sit odio Dei dignus, quod proprie pertinet ad culpam. Secundo non dicimus istam denominationem fieri ab actu præterito, sed a quodam effectu morali, qui censetur fieri per illum actum. Quod explicatur a simili in peccato puræ omissionis, si fiat: nam qui sic peccat, verissime censetur actu se avertere a Deo, et se convertere ad se ipsum, vel ad aliam creaturam, ut ad ultimum finem, non quia realem actum efficiat, neque quia aliqua forma physica privetur, sed quia moraliter ita se habet ac si id vellet: ita in proposito iste censetur moraliter aversus a Deo, quia id voluit, et nunquam mutavit voluntatem, nec consecutus est remissionem peccati.

13. *Quarta propositio.*—Quarta propositio. In hoc peccatore macula non est aliquid distinctum ab habituali peccato, quod explicuimus, quare explicanda est per moralem quamdam indignitatem, sicut qui in Republica exercuit villissima munera, licet postea illa non exerceat, manet moraliter infamis: ad hunc enim modum se habet coram Deo, qui semel peccavit, et in peccato jacet; hæc ergo macula et habituale peccatum, idem sunt, licet secundum rationem, vel potius secundum etymologiam differant, peccatum enim dicitur, ut avertit hominem ab ultimo fine: macula vero quatenus reddit ipsum hominem turpem: et propterea macula ut sic non fit a Deo, quia ad malum culpæ spectat, et idem prorsus est de aversione habituali: de reatu vero et offensa Dei jam diximus quid sit, et statim etiam dicemus.

14. *Quinta propositio.*—Quinta propositio. Nunc in homine destinato ad finem supernaturalem habituale peccatum et macula peccati mortalis includit dicta omnia moralia, et præterea realem et physicam privationem gratiæ et charitatis: de hac propositione videri possunt dicta, libro septimo, de Gratia, capite vigesimo a numero septimo; et ita sentit divus Thomas, quod bene notat Cajetanus, infra,

quæst. 113, in articulo secundo, Capreolus 4, distinctione decima-quarta, Sotus, distinct. decima-quinta, quæst. prima, articulo primo. Et ratio est, quia peccatum nunc avertit hominem a Deo fine supernaturali; ergo privat conversione ad illum: sed habitualis conversio ad hunc finem est per gratiam et charitatem; ergo habitualis aversio privat his formis, in quo differt valde ista aversio ab aversione a solo fine naturæ. Confirmatur, nam peccatum habituale nunc manens, immediate et formaliter tollitur per inhærentem justitiam, quæ peccatori datur in justificatione, sed formaliter tollitur privatio ipsa gratiæ et charitatis; ergo hæc ipsa privatio est formale peccatum sive macula. Inferes: ergo peccatum habituale est ejusdem rationis in omnibus peccatoribus. Respondeo quoad aliquid, scilicet aversionem a Deo, concedo, differunt tamen semper quoad moralem malitiam, quæ, ut diximus, solum moraliter permanere censetur, et eodem modo est intelligendum quod divus Thomas, 1, 2, quæst. octuagesima-sexta, articulo primo, ad tertium, dicit, eandem privationem gratiæ propter ordinem ad diversam causam, scilicet actuale peccatum majus vel minus, esse majus vel minus habituale peccatum. Non est enim ipsa privatio physice major, vel minor, tamen quatenus procedit ab his vel illis actibus, censetur reddere hominem moraliter magis deformem et indignum: et simili ratione peccatum denuo iteratum licet non inducat novam privationem gratiæ, tamen censetur inducere eandem privationem novo titulo, et hoc modo illud secundum, seu iteratum peccatum includit privationem gratiæ.

15. *Instantia solvitur.*—Dices. Privatio gratiæ fit a Deo; ergo est poena. Respondeo non fieri a Deo positive agente, sed deserente. Secundo dici potest habitualis gratiæ privationem esse quasi materiale in peccato: at vero formale esse voluntariam deformitatem, quæ moraliter manet; illa ergo privatio, ut culpa est, non est a Deo, quia sic est voluntaria voluntate prava: ut vero est corruptio ejusdem rei, est a Deo non conservante; et hoc non est inconveniens, quia illa, ut sic, non est peccatum, et posset accidere homini justo, si Deus suspenderet influxum conservativum gratiæ illius. Et eodem modo licet illa privatio sub una ratione sit culpa, tamen sub alia ratione, potest quodammodo dici poena non tam imposita, quam contracta, juxta dicta. Vide Durandum, secundo, distinctione trigesima, quæstione 3, ad argumenta.

16. *De subjecto maculæ.*—Ex his facile expediuntur reliqua, quæ de hoc peccato vel macula dici possunt, nam jam constat an sit, et quid sit: et quomodo in peccatis diversis sit diversa, et major, vel minor, de quo etiam videri possunt dicta in opere de Gratia, loco citato. In quo vero subjecto sit, breviter dicendum est, ex divo Thoma, quæst. illa 86, art. 1, partim esse in essentia animæ, partim in voluntate, nam gratia et charitate privat, in quibus amicitia Dei consistit, præcipue tamen videtur esse in essentia animæ, quia licet actuale peccatum primo sit in voluntate, quia per eam committitur, tamen id quod præcipue maculatur, est ipsa anima, quæ in se manet moraliter odio digna, et ipsa est principale movens et operans, et sicut justitia coram Deo primo est in essentia animæ, ita et habituale peccatum: derivatur vero etiam ad voluntatem, quia etiam ipsa est censenda manere a Deo aversa. Rogabis, quomodo unum esse queat in duobus. Respondeo, quia non est unitum in genere naturæ, sed moris, et quia non æque primo est in utroque.

17. *De causa efficiente et effectu maculæ.*—De causa autem efficiente ipsius maculæ, dicendum est physicam nullam habere; habet tamen moralem, quæ est ipsum actuale peccatum præcedens. De effectu dicendum est formalem ejus effectum esse reddere hominem aversum a Deo, et odio Dei dignum, unde sequitur esse dignum poena: per quem effectum interdum Scriptura, et sæpe Augustinus explicat hoc peccatum habituale, scilicet per reatum. Vide illum in Psal. 33, et libro primo, capite vigesimo octavo, 6, contra Julianum, capite 8. Advertendum autem est istam poenæ dignitatem non esse aliam ab illa quæ fit per actuale peccatum, quia homo ratione hujus maculæ non meretur novam poenam, sed solum ratione actus, et eodem modo solet ista macula dici generare offensionem Dei, quæ, ut diximus, ex parte Dei nihil ponit, nisi iram ejus, vel denominationem extrinsecam: ex parte vero hominis præter actuale peccatum nihil dicit præterquam esse dignum illa ira. Vide divum Thomam, tertia parte, quæst. 86, articulo 2.

18. *Maculam in veniali negant aliqui.*—Solum superest de veniali peccato, an relinquat maculam. Scotus enim, quarto, distinctione vigesima-prima, quæstione prima, et Gabriel, quarto, d. decima-sexta, quæst. 5, et alii, in 2, dist. 24, dicunt quod post veniale peccatum nihil manet, nisi obligatio ad poenam, quia ne-

que privat gratia, neque remittit charitatem, et licet remitteret, illa remissio non haberet rationem culpæ, quia non tenetur homo habere charitatem in tanta vel tanta intensione: denique nullo alio modo avertit a Deo. Divus Thomas autem et alii, 3 p., quæst. 87, ad 3, volunt relinquere maculam. Favet Eccl. 31: *Beatus vir qui inventus est sine macula*, et Psalmo decimo-quarto: *Qui ingreditur sine macula*; et omnes illæ sententiæ, in quibus dicitur hominem non esse sine peccato et sordibus, videntur verificari ratione hujus maculæ, quia sine actuale peccato et mortali esse potest; idem vero divus Thomas 1, 2, q. 89, articulo 1, addit hoc peccatum non causare maculam simpliciter, sed secundum quid. Et hic modus loquendi est retinendus, quia est conformior Scripturæ et Patribus, et explicandus ad eum modum, quo explicavimus habituale peccatum in puris naturalibus, nempe per moralem existimationem, quia revera nihil aliud fingi potest. Sola vero ordinatio ad poenam non pertinet ad rationem culpæ, neque maculat animam, et manere potest, ipsa culpa remissa: recte autem intelligi dicto modo constat, quia ille, qui venialiter peccat, aliquo modo offendit Deum; ergo quamdiu voluntate sua non satisfacit Deo, censetur moraliter permanere in illa voluntate, atque adeo ita dispositus, ut censeatur aliquo modo indignus divina quadam familiaritate et singularissimis auxiliis: propter quod dicunt sancti hanc maculam repugnare fervori charitatis. Explicari etiam potest a contrario: remissio enim venialis peccati ex sententia theologorum, sine infusione novæ gratiæ fieri potest; ergo illa privatio in qua talis macula consistere potest, non privat aliqua forma, et habitu reali physice, quandoquidem sine tali habitu auferri potest per Dei condonationem, reliqua de macula explicanda sunt ad modum peccati mortalis. Vide dicta, t. 4, de Pœnitentia, disp. 11, sect. 1.

DISPUTATIO IX.

DE PECCATO ORIGINALI.

Diximus de duobus generibus peccatorum, sequitur, ut de peccato originis disseramus, quod *natura peccatum* etiam dicitur, quia non propria voluntate, sed naturali generatione illud contrahimus: et propterea natura filii iræ dicimur, ad Ephesios 2, ut voluit Augustinus,

DISPUTATIO IX. SECTIO I.

lib. 2, de Peccatorum meritis, cap. 2, de quo peccato, loquens idem libro de moribus Ecclesiæ, *peccato* (inquit) *antiquo nihil est ad prædicandum promptius, nihil ad explicandum difficilius*: et lib. 3, de Baptismo parvulorum, cap. 4, et 2, de Nuptiis, cap. 29, et epistola 26, 28, fatetur se nescire solvere difficultates omnes ut sibi satisfaciat, in hoc peccato occurrentes, de quo disputant theologi, 2, dist. 3, D. Thomas 4, contra Gentes, cap. 50, et q. 4, de Malo, et opusculo 3, tractatu 2, et 1, 2, q. 81, 82 et 83, et nonnulla in 85, quæ quæstiones præsentis tantum sunt instituti, nam quæstio illa quomodo hoc peccatum auferatur, sive effective per Baptismum, sive formaliter per gratiam, videatur in tomo de Sacramentis, disp. 26, sect. 1, et lib. 7, de Gratia, per varia capita.

SECTIO I.

An sit originale peccatum.

1. *Error negans peccatum originale.*—Error fuit Pelagii peccatum originale negans, ex Augustino, hæresi 88, et lib. 3, de Peccatorum meritis, cap. 7, et de Baptismo parvulorum, cap. 2, et lib. 2, de Peccato originali, et 5, contra Julian., cap. 5; hunc secuti sunt Armeni, Albanenses, et Albigenses, ut referunt Antoninus, 4 parte, titulo 11, cap. 7, § 3, Castro, verbo *Peccatum*, Guido Carmelitanus. In eodem errore fuisse Abailardum indicat Bernardus, epistola 111 et 118, refertur etiam Zuinglius, et Erasmus, 1 et 2, editione ad Romanos 5, aperte favet huic errori, et inter alia impie dicit impudenter mentiri eos qui locum illum Pauli, Ephes. 2, dicunt non posse intelligi de peccato per imitationem: eidem favet Stapulensis, ibidem. Fundamentum est duplex, primum quia pugnat dicere *peccatum et naturale*, nam de ratione peccati est *voluntarium*, ut diximus: peccatum etiam est contra legem ad Romanos 4. Sed ea quæ sunt naturalia, nec a voluntate pendent, nec legi subduntur, præcipue cum tempore conceptionis homo non sit capax præcepti, nec voluntatis. Confirmatur primo: nam meritum Adæ nihil nobis profuit; ergo neque culpa. Confirmatur secundo, quia Deus, qui proprie remittit peccata, non imputat aliena, Ezechielis 18: *Filius non portabit iniquitatem patris, sed anima, quæ peccaverit, ipsa morietur*, etc., et 2, ad Corinth. 5: *Unusquisque referet prout gessit*.

2. *Secundum fundamentum.*—Secundum fundamentum. Quia peccatum originale nul-